

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 2: De aliis peccatis Caput 1: De peccato (15)

Idem (Isidorus):

Omne peccatum antequam committitur amplius pertimescitur.  
Quamvis autem grave sit, dum in usum venerit,  
leve extimatur, et sine ullo metu committitur.  
Istis fomitibus, quasi quibusdam radicibus,  
convalescit omne peccatum.  
Cogitatio namque prava delectationem parit,  
delectatio consensum, consensus actionem,  
actio consuetudinem, consuetudo necessitatem.  
Sicque hiis vinculis implicatus sive impeditus homo,  
quadam cathena vitiorum tenetur astrictus,  
ita ut ab ea evelli nequaquam valeat,  
nisi divina gratia iacentem apprehendat.  
Peccatum committere in puteum est cadere,  
consuetudinem vero peccandi facere,  
os putei est coangustare, ne is qui cecidit valeat exire.

Nequissimum est peccare,  
sed plus est peccandi consuetudinem facere.  
Ab illo cum labore resurgitur, set facile vitatur,  
dum male consuetudini repugnatur.

Omne peccatum, antequam admittatur, amplius pertimescitur.  
Quamvis autem graue sit, dum in usum uenerit,  
leue existimatur, et sine ullo metu committitur.  
Istis fomitibus, quasi quibusdam gradibus,  
coalescit omne peccatum:  
cogitatio namque prava delectationem parit;  
delectatio consensionem, consensio actionem,  
actio consuetudinem, consuetudo necessitatem.  
Sicque his uinculis homo implicatus,  
quadam catena uitiorum tenetur adstrictus,  
ita ut ab ea euelli nequaquam ualeat,  
nisi diuina gratia manum iacentis adprehendat.  
Peccatum admittere cadere est in puteum;  
consuetudinem uero peccandi facere,  
os putei est coangustare, ne is qui cecidit ualeat exire.  
Sed interdum etiam tales Deus liberat,  
dum eorum desperationem ad conuersionem libertatis commutat.  
Ipso enim miserante, peccata dimittuntur;  
quo protegente fit ne in deterius peccando eatur.  
Nequissimum est peccare,  
peius est peccandi consuetudinem facere.  
Ab illud facile, ab hoc cum labore resurgitur,  
dum malae consuetudini repugnatur.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 2.23.2-5 (CCSL 111, P. Cazier ed., pp.138-9, ll.5-23).